

PRECES

Sérviam!

℣. Ad Trinitatem Beatíssimam.

℞. Grátias tibi, Deus, grátias tibi: vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

℣. Ad Iesum Christum Regem.

℞. Dóminus Iudex noster; Dóminus Légifer noster; Dóminus Rex noster. Ipse salvabit nos.

℣. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

℞. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

℣. Exsurge, Christe, ádiuva nos.

℞. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dóminus illuminátio mea et salus mea: quem timebo?

℞. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me proélium, in hoc ego sperabo.

℣. Ad Beatam Vírginem Mariam Mediaticem.

℞. Recordare, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspectu Dómini, ut loquaris pro nobis bona.

℣. Ad Sanctum Ioseph Sponsum Beatae Mariae Vírginis.

℞. Fecit te Deus quasi Patrem Regis, et dóminum universae domus eius: ora pro nobis.

℣. Ad Angelos Custodes.

℞. Sancti Angeli Custodes nostri, deféndite nos in proélio ut non pereamus in tremendo iudício.

℣. Ad Sanctum Iosephmariam Condítorem nostrum.

℞. Intercede pro fíliis tuis ut, fideles spirítui Operis Dei, laborem sanctificemus et ánimas Christo lucrifácere quaeramus.

℣. Oremus pro Beatíssimo Papa nostro **N.**

℞. Dóminus conservet eum, et vivíficet eum, et beatum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicorum eius.

℣. Oremus et pro Antístite huius dioecesis.

℞. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitate nóminis tui.

℣. Oremus pro unitate apostolatus.

℞. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te: ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

℣. Omne regnum divisum contra se, desolábitur.

℞. Et omnis cívitas vel domus divisa contra se non stabit.

℣. Oremus pro benefactóribus nostris.

℞. Retribúere dignare, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro Patre.

℞. Misericórdia Dómini ab aeterno et usque in aeternum super eum: custodit enim Dóminus omnes diligentes se.

℣. Oremus et pro frátribus nostris Operis Dei, vivis atque defunctis.

℞. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

℞. Et de Sion tuere eos.

℣. Réquiem aeternam dona eis, Dómine.

℞. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℞. Amen.

℣. Dómine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

Sacerdos, si Preces moderatur, exurgit et addit Dóminus vobiscum, stans etiam dum recitat orationem.

℣. Dóminus vobiscum.

℞. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

Deus, cui próprium est misereri semper et párcere: súcipe deprecationem nostram. Ure igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Actiones nostras, quaésumus Dómine, aspirando praéveni et adiuvando proséquare: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te coepta

finiatur. Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

Omnnes dicunt:

Gáudium cum pace, emendationem vitae, spátium verae poeniténtiae, grátiam et consolationem Sancti Spíritus atque in Opere Dei perseverántiam, tríbuat nobis Omnípotens et Miséricors Dóminus.

℣. Sancte Míchaël.

℞. Ora pro nobis.

℣. Sancte Gábriel.

℞. Ora pro nobis.

℣. Sancte Ráphaël.

℞. Ora pro nobis.

℣. Sancte Petre.

℞. Ora pro nobis.

℣. Sancte Paule.

℞. Ora pro nobis.

℣. Sancte Ioannes.

℞. Ora pro nobis.

Cum adsit aliquis Sacerdos, dignior ait:

Iube, Domne, benedícere.

Sacerdos benedicít:

Dóminus sit in córdibus vestris, et in lábiis vestris, in nómine Patris † et Fílii et Spíritus Sancti.

℞. Amen.

℣. Pax.

℞. In aeternum.